



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCLX. Lis de dotibus socrus & nurus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



ut sepulscandum praberet: deceptum certe ab eo etiam tempore ipso juvenem, incidisse in eum, quem minime provocatum injuria vellet. At illum confestim tanquam de alieno non de liberaſſe ſanguine: & quia redditurus eſet expoſitum, debilitaſſe. Certe eum lege patris uſum, qui ſciret nec ſe patrem, nec hunc filium. Adoleſcentem autem, quia nondum perſpectum illo tempore patrem habuerit, certe quia probare non potuerit, tacuiſſe: nunc petere talionem.

## CCCLIX.

*Lis publicani de unionibus.*

PRÆTER INSTRUMENTA ITINERIS, OMNES RES QUADRAGESIMAM PUBLICANO DEBEANT. PUBLICANO SCRUTARI LICEAT. QUOD QUIS PROFESSUS NON FUERIT, PERDAT. MATRONAM NE LICEAT ATTINGERE. Matrona iter faciens, cum ad publicanos veniſſet uniones habens cccc. in ſinum abdidit: hos cum requireret publicanus, matrona ſcrutandi poteſtatem fecit, publicanus noluit ſcrutari. Tranſlatis manum iniecit, & ſuos dicit.

## S E R M O.

*Quæſtiones ſunt, an instrumenta itineris videri uniones poſſint? an etiam ſi non poſſint videri, tamen quoniam ad uſum, & ornamentum matronæ parati ſint, in commiſſum venire potuerint? an in uſum parati ſint? an ſi in uſum parati ſint, non oſtenſi teneri poſſint, cum oſtenſi nihil debuerint? an quamvis ſcrutari matronam non liceat, & ipſa permittente & publicano licuerit, perinde ſit ſcrutationem permiſſiſſe, ac rem oſtendiſſe? an dimiſſa res peti poſſit? an hæc dimiſſa ſit? Dicit enim publicanus non rem, ſed controverſiam dimiſſam.*

## CCCLX.

*Lis de dotibus, ſocrus & nurus.*

PRIMA RATIO DOTIS HABEATUR. Quædam apud filium amiſſo viro, dotem reliquit. Adoleſcens, ducta uxore dotata, deceſſit. Res ſolvendo non eſt. Contendunt ſocrus & nurus, utra primum dotem accipiat.

## S E R M O.

*Mulierem illam ſocrum nurus dicet hanc ruinam patrimonii poſt mortem viri ſtatim ſenſiſſe: non ſumpſiſſe dotem, ne & filium decoloraret,*



loraret, & dotem quoque perderet. Itaque etiam dotatam filio quaesisse uxorem, quo facilius posset ruentis patrimonii rationem succurrere. Addat, donasse illam filio petitionem, hodie, quia decessit, retractare. Sed & praescribat.

## DECLAMATIO.

**S**ero petis, & aliud patrimonium est. Dudum hæres mariti tui erat. à filio petere debuisti, ego ex bonis mariti mei repeto. Nam duæ mortes maritorum, diversas successiones habent. Bona mariti mei, morte ejus facta sunt: dum viveret, patris fuerunt. Dos est, si à viro, aut ab hærede ejus repetatur: tu amisso viro, cum dotem non petiisti, fecisti creditum ex dote.

## SERMO.

*Circumscriptam se nurus queretur: & in ultimo queret, in quem usum anus dotem desideret? Contra illa dicet, hanc mulierem ambitiosam & profusam fuisse, non minime propterea ad egestatem perductum virum.*

## DECLAMATIO.

Nurus oportet à viro dotem repetat, focrus à patrimonio.

## CCCLXI.

*Depositi rapti quadruplum.*

QUI DEPOSITUM PERDIDERIT, JURET, ET SIBI HABEAT. Quidam cum depositum furto amisisset, juravit: postea furem damnavit, exegit quadruplum: Dominus hoc quoque petit.

## DECLAMATIO.

**M**EÆ pecuniæ accessio ad me pertinet. Quid si enim cognitor meus, quid si procurator hoc idem respondeat? denique, quid si damnatus fur, non totum solvisset? nempe meum damnum erat. An jacturam debeo sentire, accessionem non debeo? Ego enim à te recessi, cum jurasti, jam cum fure mihi negotium est; hic quicquid solverit, ad me pertinet.

## SERMO.